

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio XIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

in cœlum, & redibit eâdem virtute ad judicandum vivos & mortuos? Anne igiur idem agens & patiens, idem causa & causatum? Et quid non? Responde ad ista, & tunc ubi te probabis Philosophum, vel etiam Theologum, agam tecum ex solidis Philosophiæ principijs.

DISSERTATIO XIX.

Utrum Divina Sacelli Einsidensis consecrationis approbatio Pontificia conciliet aliquam auctoritatem?

I. **H**Eideggerus §. 20. ingenti fastu sic procedit. Poteramus argumentorum plurium aggestu pretere absurditatem fabulæ; sed victi radio, & ex fabuloso hoc pelago eluctari gestientes, properamus ad argumenta, quæ suffulciendæ approbationi afferri solent. Sunt autem ea duo potissimum, approbatio nimirum Papæ, & miracula in fano Eremitano inde à longo tempore patrata. At prius quod atinet, ostentant Bullam Leonis VIII. decimo

cimo sexto post illam dedicationem anno scriptam : quâ ille *consultis Coepiscopis, Omnipotentis Dei gratiâ, & Apostolorum Petri ac Pauli auctoritate, capella hujus consecrationem ratam esse confirmans, cunctos eum locum confessos & contritos devotè visitantes à culpâ & pœnâ absolutos reddit.*

I I. Utinâ Heideggere, ex fabuloso pelago, quod tuis cōmentis & calumnijs reples, tandē eluctareris! Sed quid miraris, cur ex approbatione Papæ Sacelli Einfielensis Divinæ consecrationi auctoritas conciliata fuerit, cum non solum sancti Patres, nominatim Augustinus *Epist. 161.* Hieronymus *Epist. ad Damas. Rom. Pontif. Cyprianus lib. 1. Epist. 3.* asserant, semper in Ecclesiâ Romanâ viguisse Apostolica Cathedræ principatum; sed ipsi etiam Doctores reformati, speciatim Bullingerus *Decad. 5. Serm. 2. S. Turpiter.* Calvinus *Instit. lib. 4. cap. 6. sect. 6. & cap. 7. sect. 5.* nolentes volentes debuerint fateri, tum quòd veteres Ecclesiæ scriptores sunt testificati

H 5

de

de primatu Petri; tum quòd illa verba, *Et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam*, ex sensu Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum, accipienda sint de Petro; tum denique, quòd nullum fuerit tempus, quo non Romana Sedes imperium in alias Ecclesias (ex ipso scilicet, uti sancti Patres probant, jure Divino) appetiverit. Et verò abstrahendo etiam ab illâ Primatûs autoritate, nūquid magnū autoritatis pondus habere debuit Divinæ Sacelli Einsidensis consecrationis approbatio, quæ, uti asseris de consilio tot Episcoporum, in præsentia plurimorum principum, ipso etiam Imperatore concurrente facta fuit?

III. Pergit Heideggerus: Verum approbatio Papæ, inquit, rebus falsis & fictilibus, ac cum Verbo Dei hostiliter pugnantibus autoritatē conciliare non potest. Etiam Angelum è cœlo venientem, nedum Papam aliud Evangelium prædicantem, Divini anathematis fulmen percutit *Gal. 1. v. 8.*

IV. Hei-

IV. Heideggere, nihil hîc præter calumnias, & convitia impudenter coacervas. Si Angelum è cœlo venientem aliud Evangelium prædicantem Divini anathematis fulmen percutiat, quid agendum erit cum Reformatis Doctoribus? Nunquid hi ipsi, speciatim Calvinus *Instit. l. 1. cap. 11. sect. 13.* Breitingerus *Opusc. de sect. pag. 27.* Bullingerus *cap. 7. primæ part. advers. Brent.* Peucerus *lib. 4. Chron. Car. de reb. Eccles.* Kecherman *lib. 3. cap. 14. system. Logici,* & alij fatentur, primis quinque, vel sex, vel etiam septem sæculis ac temporibus, fuisse in Ecclesiâ purâ & orthodoxam fidei doctrinam, ac Patres extitisse Apostolicos Doctores? Nunquid etiam Calvinus *Instit. lib. 4. cap. 19.* fatetur, opinionem de septem Sacramentis in Ecclesiâ radices egisse primis quinque sæculis à tempore Apostolorum? Cur ergo aliter cum Calvino *eod. cap. 19.* docent Ecclesiæ Tigurinæ Doctores, rejiciendo illam de septem Sacramentis doctri-

nam, tanquam erroneam & falsam? Nunquid Evangelium, quod tali, & alij pluribus (quas Ioannes Georgius Rhœtus in suâ face veritatis, *Rat. 6.* coacervat.) contradictionibus constat, potest esse verum Christi Evangelium? An igitur tales Reformati Doctores aliud Evangelium Christi prædicantes, Divini anathematis fulmine sunt percussi? En igitur Heideggere, fulmen illud Divinum non in Papam, aut Papiſtas, sed in caput tuum retorquetur.

V. Instat iste Tigurinus Professor. Neque est, cur moveamur ejus, scilicet Papæ authoritate, quem jam pridem fidei & conscientiæ bonæ naufragium fecisse probè, probèque novimus, quemque in rebus facti errare & decipi posse fatentur. An verò hujusmodi Bullis tutò semper credi possit, viderint ipsi Papiſtæ. Neque enim ignorare possunt, quoties Pontificiæ approbationis obtentu illud sit credulæ simplicitati. Possem id demonstrare gemino exemplo &c.

VI.

VI Certè Heideggere, fecisti conscientia tuæ naufragium, qui Papam de fidei naufragio tam temerè coarguis. Nam Calvinus *Instit. lib. 4. cap. 6. sect. 6.* Bullingerus *Decad. 5. serm. 15. §. Turpiter.* Lutherus *De Antich. revocat. ult.* fatentur, illa Christi Domini verba *Math. 16. cap. v. 18. Et super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam,* secundum veterum sanctorum Patrum (in quibus fuisse veram & orthodoxam fidem, asserunt ipsimet Reformati Doctores) expositionem, accipienda esse de Petro, ejusque adeò successoribus. At Papam esse Petri successorem, constat ex Alstedio *Chron. c. 24.* & Calvino *Instit. lib. 4. cap. 7. sect. 5.* Quà igitur conscientia ille Tigurinus Doctor, nisi suam Ecclesiam & fidem contradictionibus plenam, atque adeò naufragio obnoxiam diceret, asserere potuit, Papam saltem ut personam publicam, & ex Cathedrà loquentem fidei naufragium fecisse? Cùm tamen secundum veterum Patrum Orthodoxam (ut ipsi-

ipsimet Reformati ministri coguntur fieri) fidem tenentium Doctrinam sit petra, super quam aedificata est Ecclesia, adversus quam portae inferi non praevalent.

VII. Nec obstat, quod in ijs, quae sunt meri facti, neque ad fidem, neque ad mores universam Ecclesiam concernentes spectantia, possit Papa errare. Sicut enim Patriarcha Iacob per errorem facti circa Liam non est coinquinatus ullâ malitiâ morali, sed formalitas Matrimonij sub illo errore *speculativè* quidem, & *materialiter* false, at *practice*, & *secundum rationem prudentiam formaliter* verè representata, in illum Patriarchae actum derivabat honestatem moralem. Sic quia Papa ut Papa ad universalem Ecclesiam loquens, in ijs, quae sunt juris, ut sic fidem & honestatem moralem concernentia, errare non potest, idcirco errore etiam materiali interveniente, sub ejus constitutionibus, & approbationibus publicis, sem-

semper subest honestas in fidelium actus
 morales *specificativè* derivans bonitatem
 moralem. Et sic *practicè loquendo* secun-
 dum prudentiam ac moralem certitudi-
 nem, semper tantò creditur Bullis Ponti-
 ficij, licèt in factò particulari aliquando
 subesset falsitas aliqua. Neque verò cir-
 ca Divinæ Sacelli Einsidensis Consecra-
 tionis approbationem Pontificiam ali-
 quis error facti timendus est, dum ejus-
 modi suspicionem omninò abstulit tum
 publica vocis etiam cœlestis coram
 Summo Pontifice, ac Imperatore, sacro
 Episcoporum, Principumquè plurimo-
 rum Consistorio, legitimè probata atte-
 statio; tum fideiū ultrà septingentos jam
 annos continuata traditio & consensus,
 tum miraculorum reiterata frequentia.

DISSERTATIO XX.

*An ex eo, quòd Leo VIII. Papa sit du-
 bius, ipsa etiam Bulla Divinæ illius Dedic-
 tionis approbatoria censeri debe-
 at dubia?*

I, Hanc dubitationem movet Hei-
 deg-